Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26285
Copyright: Admont, Benediktinerstift



SANCTIFICAMINI HODIE ET
estote parati. quia die crastina uidebitis maiesta
tem dei in uobis.

PRECLARA Et iocunda huius sollempnitatis
gaudia. cum toto mundo resplendeant festiua.
nil digne loqui de eis prualet carnis lingua.
Adhec namque digne celebranda. queque beata anima.
per omne istius precedentis aduentus domini tempus se preparauit.
ut in redemptoris sui natiuitate. spirituali gaudio consolari possit.
Ut igitur magis ac magis preparemur. precedenti hac nocte ita nos spiritus
sanctus admonet et hortatur. Sanctificamini hodie et estote parati.
quia die crastina uidebitis maiestatem dei in uobis. Non quidem
sic sanctificari debemus. ut illis sanctis qui nunc cum xpo in celis gau
dent. equales nos esse credamus. quia ipsi de corruptione ad incor
ruptionem assumpti. nec possunt nec uolunt peccare. nos uero quam
diu in hac uita sumus. sine peccato esse non possumus. Sic autem sanctifi
camur et preparamur ad hec sollempnia. si contra proximos nostros nec odium
nec inuidiam habemus in nostra conscientia. Quicumque igitur ita sanctificari sa
tagit. crastina die sine dubio maiestatem dei in se uidebit. Per
maiestatem quippe dei. timor eius non incongrue potest intelligi. quem
sancta anima crastina die in se uidebit. cum ad sanctum altare sacro sanctum
eius sacramentum mundato corde et corpore percipiens. intus pregusta
re merebitur. quis et quam magnus sit. quem ibi accipit. Sunt uero non
nulli qui desidia cordis et mollicie carnis adeo leues existunt.
ut nequaquam sanctificare se aut uelint aut ualeant. et cum aliis qui
dem ad sanctam altaris mensam accedunt. sed non preparato corde nec sancti